Lorencowicz Ioannis Iulii: Centuria emeritae virtutis militum e minimo Societatis Iesu Ordine




MITTEBANT CORONAS SVAS ANTE THRONVM Apoc.
IHS
CORONA SENVM FILII FILIORVM ET GLORIA FILIORVM PATRES EORVM
Prouerb. 17.
ANNO SOCIETATIS IESV CENTESIMO

n.


CENTVRIA
EMERITÆ VIRTVTIS MILITVM.
E MINIMO SOCIETATIS IESV ORDINE.

AD SÆCVLAREM TRIVMPHVM DECVRIATA.

VNIVERSIS EIVSDEM INCLYTÆ SOCIETATIS, PATRIBVS FRATRIBVSq́ꝫ
E VOTO
IOANNIS IVLII LORENCOWICZ.
CONSVLIS ET ADVOCATI LEOPOLIENSIS
ARTIVM ET PHILOSOPHIÆ BACCALAVREI
Conſecrata.

LEOPOLI,
In Officina Michaelis Sloska, ARCHIEPIS: Typograph:
Anno Domini, 1640.

l



Mementote operum patrum, quæ fecerunt
in generationibus ſuis, & accipietis gloriam
magnam & nomen æternum,
I Mach: 1.





INCLITÆ SOCIETATI IESV.

DAbis veniam, Ordo Religiosissime, audaci quidem, sed amico meo voto: ad solennẽ tui triumphi Lætitiã, domestica tua decora, solutos iã sacramento Heroas, hoc breui Libello, reuocanti: cum pauciores literas, in eo numeraueris, quam sint tua pignora. Imbecilitati enim meæ, & angustiæ libri id concedes, quod non omnes concluserim, cum tantum cælo capi omnes posse videantur. Aspicies tamen Religiosarum mentium beneuolentia, id quod Seculari tuæ Lætitiæ beneuoli cordis attulit affectus, iustumq; duces tribu-

)(tum

tum amoris, vt gesta tuorum ii narrēt, quos tu verbis ad obsequia tua aliquādo iustruxisti. Neq; aspernaberis, Doctissima Societas, si quid inconcinnū tuo Sapientissimo aspectui attulero: quando legimus, Metellum pium, etiam ineruditis Pöétis, aures suas dedisse, qui res á se ipso gestas vt cunq; canerent. Accipe igitur; Tabulas mutas, ignaua Lineamenta, quæ animata tui filii factis reddunt. Sæculoq; feliciter peracto, æternos age sine nube dies. Sic tibi vouet, deuota mente.

Religiosissimo tuo ordini Societas IESV.

Deuotissimus.

Ioannes Iulius. Lorencowicz.

SANCTVS IGNATIVS VERE IGNEVS.

VT arderet inter ſtipulas natus,
Vt luceret inter fulmina belli educatus,
Nec obſcurus nec frigidus eſſe potuit.
Igne ex milite Imperator initiatur,
Vt ex mundi tenebris ad meliorē lucem aſpiraret.
Infractis tibijs ignea vi è muro deiicitur,
Vt clarius reſonaret:
Inceſsit pede ſuſpenſo,
Ignis naturam ſurſum tendentis imitatūs
Vt qui aſpectu & affectu in cælos euolare debuerat,
Iam etiam corpore à terra abſtraheretur.
Inter concretas ſtagni glacies ita calet,
Vt frigidū pectus impuri adoleſcentis virtutis ardore incēdat,
Iam tunc Hyperboreas hyemes ſoluere incipiens,
Qui ſeptemtrionem primum religione inflāmare debuit,
Vertice radiante illuſtris,
Æterno præluxit ſplendori,
Quippe alienis clarus in oculis, obſcurus in ſuis:
Internaq́ꝫ cordis incendia ſurſum petere oſtendit,
Illo ſuaui ſuperis thymiamate.

Sordet Terra dum Cælum aſpicio.

HAnc lucem ita in cæteros diffudit, vt in ſe non minueret:
Inſtitutum Societatis ſcribenti
Diuinum Pneuma in flamma apparuit;
Ne deeſſent fulmina cum lex ſcribitur;
Vel vt igneis linguis ignea lex dictaretur,
Vel vt ſcheda diuino altari toties velut holocauſtū impoſita,
Diuinæ acceptationis indices flammas haberet,
Totieſq́ꝫ lachrymis madefacta, nouo miraculo,
Vt olim Eliæ ſacrificium flammas, aquis perfuſum conciperet,
Alterumq́ꝫ Eliam noſtri ſæculi oſtenderet,
Qui ſuos hoſtes flammis perdiderat.

Aquibus ventilari potuit, extingui non:
Iure dixeris Incendiarium cæli, terræq;,
In cuius defuncti visceribus, lapides inuenisses,
Vt flammas excuteres.
Cuius rogum, non inuersæ faces, sed cæli sydera illustrarunt,
Cuius funus, non aliis funalibus, quàm cæli tædis elatum est
Ad cuius Pyram, non aliæ inferiæ ceciderunt, quàm cæli lumina.
Cuius cineres, non alios ignes, quàm cæli texerunt.
Sic Ignatius extinctus, sydera cæli incendit;
Ipse verissima Apotheosi inter sydera relatus,
Auxit cæli ignes.

P. PETRVS FABER

ARchitecturæ Dei per S. Ignatium primus socius,
Substructionis SOCIETATIS prima petra,
Virtute illustris, non sanguine,
Quam ex vtero accepit, institutione perfecit;
Adultam exhibuit, quando vix inchoare potuit.
Sordes Veneris duodennis voto est execratus,
Antequam nosset.
Vrbium bono è campis,
Ad ingenuas disciplinas ab agolo,
A feris ad homines,
Cùm tamen nihil ferinum, nihil humanum haberet transiit:
Malarum incapax, bonarum artium auidus,
Eo Præceptore vsus est, Veliardo,
Qui humaniores disciplinas diuinas effecit,
Sed priusne didicerit, an docuerit, nescies;
Cum eo Magister interprete vteretur.
Adiunctus Ignatio, sic incaluit;
Vt maximo frigore hyemis non algeret,
Carbonum aceruo incubans, suo calore incendit.
Maior homine.
Sine cibo sex dies victitans,
Felix operarius, quos in virtute solidauit, nemo eorum deflexit.
Captus à Gallis, nec vinci, nec vinciri, optimâ mentē probauit,
Ex hostibus amicos effecit.

Destitutus

Destitutus corporis salute, animarum salutem curabat.
Sibi latro, & præda.
Alter Bias, qui omnia secum ferret,
Diuitias respuens, nisi quas in pauperes erogaret.
Cum plurimum laborasset, laborum auidior.
Quo ardore eos inchoauit, eodem confecit.
Vrgente syrio, matura cælo messis,
Succisus est.

S. FRANCISCVS XA-VERIVS.

Orientis Apostolus

ALter Iosue

QVi solem immobilem fecit.
Alter Ezechias;
Qui solem ab occidente in orientem reuexit.
Felicior Iulio Cæsare.
Qui non vrbem orbis victricem, sibi,
Sed orbem vrbi subiecit.
Fortior Athlante;
Qui non cælum humeris,
Sed cæli futurũ incolam, etiam dormiens tulerat.
Gloriosior Hercule;
Qui non ad Gades columnas ferreas posuit,
Non vltra suis laboribus progressus;
Sed qui cum orbis stadium sibi proposuisset,
Plus vltra progredi cupiens,
Religioni metam nullam esse voluit.
Iure Thaumaturgum nostri sæculi dixeris,
Qui cum innumera fecisset miracula,
Se ipso nihil mirabilius, facere potuit.
Æque prodigia loquens, ac faciens,
A quo viginti quinque mortui, ad vitam reuocati,
Hic superstes, inter viuentes numerari noluit.
Mortuus inter viuentes, sui corporis integritate viuit.
Id à viua calce habens, vt viueret.
Sanguinis sui in causa Dei prodigus,

Exsangui

Exſanguis, eundem è membris fudit;
Vt oſtenderet,
Nunquam ſibi defuiſse Martyrii ſanguinem,
Et quem olim ad integritatem ſeruandam, fuderat,
Eundem teſtem integritatis, haberet.
Salſedinem maris, ſuauiſsimam effecit,
Vt maris inundationem quaſi lac ſugeret.
Cui in cauſa Dei, nihil inſipidum fuit.
Cùm acerbiſsimis pomis aleretur, & vermioſam biberet.
Imò ſaniem, nectaris inſtar guſtaret.
Nutibus Barbaros inſtruens,
Diſertiſsimus extitit, cum taceret;
Et qui ſe elinguem fecerat,
Eſſet vir omnium linguarum.
Qui ſimùl omnibus Linguis, vna voce loqueretur,
Et quem vniuerſæ linguæ loquerentur,
Idem anguſtus, & auguſtus Deo extitit,
Cum inclamaret, Satis eſt, & Amplius Domine.
In portu Chinenſi, portum cæleſtem inuenit.
Toties iactatus tempeſtate,
Æternam agit malaciam.

P. IACOBVS LAINIVS

Tertius S. Ignatii Socius.
Secundus Generalis.
Primus Magiſter.

INgenium virute illuſtrius, virtutem ingenio fecit.
Honores cùm meruiſſet, contempſit.
Plus demiſsioni, quàm meritis tribuens.
Cum repudiaſſet Epiſcopatum Maioricenſem,
Archiepiſcopatum Piſanum, & Florentinum,
Poſtremò Cardinalatum,
Prodeſſe omnibus, præeſſe nulli volens,
Generalis SOCIETATIS factus,
Se vno dolente:
In quo vtilior eſſe ſtuduit, quàm videri.

Fide,

Fidei causam reputans suam,
Semina eius voce iacens,
Sudore & lachrymis alluens,
Opimam messem, & mercedem retulit.
Quantum sibi diffisus, tantum Deo incubuit.
Pudorem quem in se inuiolatum conseruauerat,
Prostitutum in aliis, concionibus restituit.
Ambitionē perniciose ne in consanguineis lactaret,
Carpsit illis Christi.

Nescitis quid petatis.

Pluresne virtuti reddiderit, an dederit, ambiguum est;
Cum laboribus suis beasset mundum
Vitam verius mutauit, quam amisit.
Et qui mortuos ne in amnistia essent, inschedas retulit,
Inter viuentes, mortuus, viuit, sui memoria.

P. ALFONSVS SALMERON.

Vita & moribus claritatem, non genere quæsiuit.
Iu studiis prima ætate ita profecit, vt perficeret alios.
Ingenij claritatem, innocentiæ candore illustrauit,
Desiderium visendi exteras oras,
Extra semet ipsum posuit
Et cùm tantum hominem vrbs vna non caperet
Animus vniersum coplexus orbem,
SOCIETATI adiunxit.
Vt inde esset aditus, veram olympiam toto decurrere mundo.
Electus pro veritatis causa Patronus,
In Hyberniā suppetias fidelibus laturus mittitur,
Vt veritatē firmaret, errores eneruaret.
Henricum ibi minime timuit, quia ferre poterat.
Tridentino Concilio
Virtutum concilium attulit.
Singulas cum coleret, omnium factus Epitomē.
Primus Sententiam dicturus,

Primus factis pietatis præiuit.
Subtilitatem enim ingenij, splendorem virtutis,
Exuere nolens, tegere nesciens,
Ostendit etiam sub sordido Palliolo, Sapientiam latere posse.
Amicus veritatis,
Hostibus fidei, hostis perennis extitit.
Quos voce, & calamo confecit,
Moribus fidem ornans, stilo defendit
Cum nec amaret viuere, nec metueret mori,
Cupiens dissolui.
Inter desiderij suspiria, expirauit.
Exemplum relinquens, quod ita vixerit,
Gloriam quod ita scripserit,

P. NICOLAVS BOBADILLA.

A sæculi Philosophia, ad Sanctiorem transiit philosophiã,
Illam ingenio docuerat, hanc moribus exercuit.
Paupertas ei necessaria, ad liberam dux fuit paupertatem,
Excurrisset S. Ignatij nutu in Indias,
Nisi ab ischiade esset prohibitus,
Oeniponto, Viennæ, Coloniæ, cum suam nauasset operam,
Ex vrbibus, in Castra transiit,
Vbi militum vulnera curans, lethale capitis vulnus accepisset,
Nisi paupertas in Petaso, suam duritiem opposuisset
E castris rediit, cum opima præda,
Solo indusio tectus,
Respuens & vittam, à Carolo oblatam, & Poderim pontificiã.
Quod nec vulneratum caput nec nuditatem pauperis,
Commode tegerent.
Si non fuisset liberæ caritatis, quam regularum tenacior.
Nunquam sic deflexisset,
Quanquam vt solem non pudet ex tenebris emergere,
Sic Bobadillam infecta reficere.
Nam qui partem postularat Magistratus.
Eum perennem, in æuum, & vltra concessit.

Pruden

Prudentia ita perspicaci fuit, vt callidior visus quibusdam sit.
Virtutes quæ in aliis singulæ, in illo singulares fuere.
Inquilinus ad ædem Deiparæ,
E cella ad cælum transiit.

P. SIMON RODERICIVS.

LIteris infra probitatem, nihil habuit carius.
Vt Christi vestigia legeret.
Hierosolymam adire statuit.
India cum Xauerio, eum Apostolum habuisset,
Nisi Lusitania his titulis præuenisset.
In Patria diu versatus, extra se nunquam.
Pluris pietatem, quam gratiam æstimans,
Nequitiam nec in plebe, nec in Principibus dissimulauit.
Vincentium Rodericium, ex eius sinu Brasilia accepit,
Eius precibus, Consaluum Silueriam Monomotapa debet.
A Ferdinando Litentiato, licentiose tractatus.
Vlcisci cum posset, noluit.
Nouo genere victoriæ, victor.
Nihil de hoste sumens, præter patiendi gloriam.
Cecidisset in ascensu supino montis,
Nisi vel somniantis Ignatii humeris se bueheretur.
Et nisi Lusitaniæ præposuisset, Hierosolymam.
Tandem meritis, & ætate grauis,
E Patria rediit in Patriam.

P. CLAVDIVS IAIVS
Gebenensis Theologus.

NOn ad vnius Ciuitatis gloriam natu
Balneoregio Concordiam:
Brixiæ Fidem.
Fauentiæ Pietatem:
Ingolstadio doctrinam intulit.
Suppliciis deleri potuit, non terreri
Prærupta Danubii minime timuit,
Quod æque terra ac aqua, ad cælum peruenire posset.

Aconita ei minime nocuerunt,
Quod venenis errorum, medicinam veritatis attulerat,
Cum omnibus consentiens, in hoc dissensit,
Quod laium nollet esse Tergestinum Episcopum.
Aula illi Ferrariæ grauis extitit,
Quod non didicisset esse leuis.
Pedores Xenodochii libentius quam aulæ odores pertulit;
Quod illi de Rosa essent,
Hi de Ocimo.
Prouidus futurorum, primus suasit seminaria.
Ob vitæ integritatem Angelus;
Ob laboris magnitudinem Apostolus;
Ob affectus teneritudinem, Pater Catholicorum dictus.
Cum laborasset apud Italos, Bauaros, Sueuos,
Vienna in cælum reuectus est.
Cui viuenti Encomium Academia Ingolstadiensis cecinit,
Mortuo Epicedium effleuit.

P. IOANNES CODVRIVS

PRimus a S. Ignatio professus,
A ieiunio vitam religiosam orditur,
Pænitentiæ præco futurus.
Sui cognominis S. Ioannis Baptistæ,
Natus, Sacris initiatus, & mortuus die,
Annorum numero eidem compar.
Dignus nomine Ioannis, qui vitam exprimere curauit.
Virtus quam in Fabro suspexit,
Eum ad Societatem IESV traxit.
[illegible]s enim suspicere, se despicere consueuerat.
Quos verbis accendebat, accaendit exemplis
Vocem factis corroborans,
Ne magis esset in dicendo, quam in agendo disertus.
Redux ab aula, ita vixit,
Ac si nunquam inter aulicos fuisset:
Ad ædes S. Petri in Ianiculo, S. Ignatio mortuus apparuit.
Cui iam cæli Ianus, cælos aperuerat;

In pon

In ponte:
Qui vada mūndi, securus transierat:
Inter Choros Angelorum,
Quos candore æmulabatur.

P. PASCHASIVS BROETVS.

VIrtutem quam cum Lacte combiberat, ætate corroborauit.
Sacris ordinibus initiatus, Societatis ordini adlectus est.
Nuntius Apostolicus in Hybernia,
Dum virtuti ad homines aditum explorat,
Pro Exploratore capitur.
Energumenos liberat, pœnitentiæ Sacramento;
Fugientibus iis, quos nunquam pœnituit.
Athiopicæ missioni aptissimus iudicatur,
Quod candore suo, illis prodesse posset.
Vt vocaretur, essetq; Angelus,
Innocentia simplicitasq; fecit.
Conuitia, ludibria, auidissimis auribus excipiebat,
Quod symphoniam putaret.
Quietem ademit sibi, vt alij securius quiescerent,
Vitæ minime tenax.
Quàm eam non amaret, pestilentia demonstrauit,
Suorum enim incolumitatem negligere nesciens,
Suam tueri non valens,
E terris, ad superos Pascha peregit.

B. FRANCISCVS BORGIA.

DVx Gandiæ,
Præpositus Generalis Tertius, Societatis Iesu
Regalis Sanguinis propago,
Regimini nata.
Nunquam se Ducem credidit, nisi se subderet sibi.
Ioanna Aragonia votiuum peperit,

Vt dono Dei nasceretur;
Cæteros enim natura donat, Heroas Deus,
Auspicato ei coniugium cessit.
Cum maximo genitori, non minor succederet proles,
Verum maritales tædæ (vt solent) ne afferrent tædium,
Extincta Ioanna, suppressæ sunt.
Et ex coniugali thoro, ad proprii corporis subiugandos toros,
Ducem transtulerunt.
Sicq; amorem soli Deo initiauit.
Vt in nouum hominem renasceretur,
Corruptionem suam in Isabellæ vermibus speculatus;
Mortuus Mundo, Deo genitus est.
Poteratq; dicere putredini,
Pater meus es, Mater mea vermibus.
Societatem vel ideo præcæteris elegit,
Quod dignitatibus, & ambitioni, in ea locus non esset.
Lætiorem diem nullum habuit,
Quam cum se omnibus expoliasset.
Sacris initiari sui iuris, & diuitem,
Ad adita illotis manibus, irrumpere existimabat.
Honoris tituli oneris illi instar grauissimi fuere.
Locum profundæ humilitati infimũ non inueniens,
Sexennio ad Iudæ pedes accubuit;
Se vnum habuit quem contemneret, vnum quem non amaret;
Purpuratis vt adscriberetur,
Meritorum faciebat suffragium,
Vt effugeret, demisio.
Cum omnibus æque, ac omnes illi subesse cuperent,
Generalis Societatis creatus,
Prodesse cum præesset voluit;
Toam Lenitatem seruabat alijs
Sibi rigidus.
Societatem cum plurimum auxisset,
Qui quotidie vigesies quater moriebatur.
Legatione perfunctus Pontificia.
Vita defunctus est.

B. ALOYSIVS GONZAGA

Marchio Castilionensis.
Parentum Pietate promeritus,
Numinis beneficentia datus,
Ingenti prodigio natus est.
Vt Principum prodigium, prodigio nasceretur.
Diuinus enim ortus, mortalis absolutionem in eo præuertit;
Vt ab ipsis maternis visceribus, Deo consignaretur.
Virtutem cum lacte combibens,
Eam fecit sibi collactaneam.
Incertumq; fuit
An in eo differret natura, à virtute.
Acerbus annis, maturus imperio.
Spe gerebat populos cum adhuc gestaretur.
Virginitatem Deiparæ inuiolatam, voto sacrata.
Sic ratam Deus esse voluit,
Vt omni sensu motuq; libidinis, careret.
Ad videndum Deum, se creatum reputans,
Nihil dignum oculis suis, existimabat.
Ipse dignissimus omnium oculis:
Solitudinem cum maxime amaret,
Cum altero sexu, nunquam colloqui sòlus voluit.
Societatem IESV, ideo complexus,
Quod salutis esset omnium memor, non immemor suæ.
Reluctantem Patrem sanguine & lachrymis fregit,
Calcaribus semet incitans, cum freno indigeret.
Homine maior, in Diuina consurgens,
Inter homines nihil nisi cæleste
Nihil humanum inter cælites sapiens.
Romæ cum toties daret spectaculum,
Virtutes omnes, tanquam in theatro circumferens.
Cum cælitum vitam, transtulisset in terras,
Dignus visus est, qui transferretur in cælum.

B. STANISLAVS,

KOSTKA.

POlonæ indolis imago;
Senatorii ſanguinis germen;
Puer virtute Gygantæâ.
Amoris curſor, vera ludens Olympia.
Ex fugâ victor, fugaci Partho nobilior
Iam inde magnus, vnde vix eſſe cæpit.
Inocentiam ætate non minuens,
Humaniores diſciplinas ad diuina tranſtulit,
Cum ei ſcribendi materia, ſola MARIA eſſet.
Fraterna in odia incurrit,
Quod ei eſſet diſsimilis.
Domeſticos expertus hoſtes,
Fidelem amicum Deum,
Qui in Societatem Filii ſui cooptabat.
Fuga igitur ſalutem quærere cogitans,
Delapſam ſalutem cælo, prodromum habuit.
Vt è morbo reuiuiſceret,
Vitam pro medicamento ſumpſit.
Vt Romam Triumphator ſubiret,
Herculeos præmiſit, cum Cerbero labores.
Ne quadrigarius frater, fugitiuum aſsequeretur.
Aligeri viaticum amorem, & alas ſubminiſtrarunt:
Iamq; curſus ſui exordio, brauium accepit
Sua brachia numine implens.
Cum ruſtico habitu, nobiliorem hominem induens,
Sine Alcibiadis Sileno,
Animi pulchritudinem, latere poſse oſtendit.
O verum tranſfugam terræ!
Qui compendiariâ fugâ
Multæ ætatis, ſtadiodromos ſuperauit.
O Lampododromum?
Qui lampada æſtuantis pectoris,
Ex Laurentii flammis, accenſam,
Inſtadio detulit.

ô Dignũ

O Dignum Ignatio filium?
Cuius charitatem aquæ multæ, nec flumina,
Obruere poterant.

IOANNES BERCHMANNVS,

BOnorum Parentum, optimus filius,
Virtutis non diuitiarum hæres,
Nataliciis lachrymis, humanæ miseriæ non prælusit'
Quod nihil dolendum in vita vellet habere.
Maturitate penè immatura,
In virtute ſuccreuit.
Primam perſonam Danielis in dramate ſuſtinuit,
Patronus caſtitatis, tota vita futurus;
Fingere neſciens,
Cum ad Sanctorum normam ſe effingeret,
Pöètam egit.
Non Circeis Præſtigiis,
Sed caſto aſpectu,
Chriſtianas methamorphoſes in aliis effingens.
In Societatem à Deo vocatus, libens acceſsit:
Vt ſibi vacaret, & cæteros non negligeret
Ita in ea vixit
Vt imitari qui eum vellet, peccare non poſset;
De peccatis meditando, aridus extitit,
Cum non haberet, de quo ingemiſceret.
Perfugii Ciuitates, duas ſibi erexerat,
Vulnera Chriſti Crucifixi;
Et pallium Reginæ cæli.
Temporis tenaciſsimus, vt impenſius Deo ſeruiret;
Corpori ſuo damna intulit,
Cum non haberet Tyrannum.
Suauiſsimus dictis & moribus,
In quo nec fel à medicis inuentum.
Cum vitam plus quàm humanam ageret,
Medicis ſic enunciantibus
Diuinitus moritur.

D B. BAL.

P. BALTHASAR ALVAREZ

Sanctitate & Sapientia clarissimus,
Dignam senio egit pueritiam,
Cum nihil puerile ageret.
Mundi illecebras crepundia existimans,
Simul cum nucibus abiecit.
Prætextam SOCIETATIS sumens,
Virilem induit animum.
Ita auulsus à suis,
Vt nec patrem, nec patriam nominaret,
Quod Melchisedech haberi vellet:
Sensus continua mortificatione insensibiles effecit,
Cum septem horis, oculos immobiles teneret;
Solo spectaculo Virginis Matris contentus.
Paupertati indiuiduum Comitem, prouidentiam Dei adiunxit,
Existimans, non esse inopiam, timentibus eum.
Sanctæ Theresiæ à confessionibus cum fuisset,
Illius virtutem defendit acrius, quam alii suam.
Se ipsum despiciens, in Sanctis suspexit.
Virtutem cum daret aliis, non ademit sibi.
Ita Socios excoluit, vt similes sibi faceret.
Ita asuetus ærumnis, vt amaret:
Qui aliis Angelus, in via Dei extitit,
Angelis ducibus, in itinere vsus est.
Cum nemo ex viuentibus tunc esset illo Sanctior,
Debitam meritis sedem,
Quam Sancta Theresa diuinitus ei paratam viderat,
Ieiunio debilitatus,
Ministranti Christo conuiua accessit.

Emin: Card: Robertus Bellarminus.

Illustre sydus, vniuersi orbis,
Cynthia matre genitum,
Marcello secundo, affinitate carus,

Virtute

Virtute carissimus.
E Paupere religioso Societatis,
Purpuratus Pater.
Cui religiosam personam, purpura non detraxit.
Cum latebras quæreret,
A Deo proditus.
Doluit eo se deuenisse;
Vbi placere non posset, Deo & hominibus.
Selectus veritatis causæ patronus,
Humanis legibus obstare paratus, si obstarent diuinis:
Aeque infensus, Hæreticis, ac Hæretici fidei;
Vtilis cum errores eorum detegeret,
Vtilior cum radicitus euelleret.
Ita hostibus timendus, vt eum sustinere non posseńt:
Ita amicis iucundus, vt satiari eo non possent,
Cum summa dignitate, maximam iungens humanitatem,
Materiam sui præconij esse voluit,
Omnis caro fænum & omnis gloria eius sicut flos agri.
Diuitias negligens, nisi quas daret egentibus.
Capuæ oblatam infulam,
Ideo accepit quia recusare non potuit,
Tunc deposuit, cum primum potuit.
Voci suæ libertatem nunquam ademit:
Ne veritati iniuriam faceret.
Ita liberalis, vt etiam mortuus,
Ne vltimam guttam sanguinis sibi reseruaret.
Vitam quam alijs precibus produxit,
Non illibentius deposuit, quam alij fouerent,
Circumstantibus Socijs I E S V,
Quos in vita habuit carissimos,
Sub purpura verus religiosus,
E Collegio Cardinalium, ad Collegium Beatorum translatus.

Emiñ: Card: Franciscus Toletus.

Princeps Romanæ Curiæ,
Cum omnium ingenia collegisset in suo,
Prodigium habitus, est ingeniorum.

Illuſtrauit virtute prodigia, prodigijs virtutem,
Societatem I E S V ingreſſus,
Per virtutis templum ad honoris peruenit:
Illud vnicum curans,
Vt quo ſublimius aſcenderet, eo clarius emicaret,
Virtuti & doctrinæ eius,
Encomiaſte Homero non opus eſt,
Cum id maximi pontifices, præſtitiſſent.
Veritatis Præco
Principibus (quod mirum) non diſplicuit
In Polonia & Germania.
Chriſtianus Fecialis
Geminis anguibus Mercurij, virgam interpoſuit,
Inedia quadragenaria quot annis conſueta,
In honorem Vrginis Aſſumptæ debilitatus,
E ſtatione diſceſsit.

P. ANTONIVS CRIMINALIS.

Societatis Protomartyr.

Florem ætatis Deo conſecratum,
Vt matureſceret ſudoribus alluens,
Sanguine etiam irrigauit.
Commorini quadriennio, minime ocioſè commoratus eſt:
Securitatem vt alijs daret, ſibi rapuit,
Nunquam ſe afflictum indoluit,
Intentus quid adhuc poſſet pati,
Quadragies quotidie genibus flexis, Deum adorauit,
Vt duplicatum vectigal pro ſingulis horis penderet.
Pacis amantiſsimus,
Arbiter iudexq; communis habitus, controuerſiarum.
A Barbarorum furentibus turmis, interceptus,
Ea ſecuritate in acie conſtitit,
Vt expectaſse ſupplicia ſe doceret.
Vulnerato ſiniſtro latere,
Vno vulnere ingens animus, exire nequiuit.

Obuio

Obuio pectore vulnera excepit,
Ne auersis vulneribus, inglorius Christi miles esset,
Vestibus spoliatus, etiam subuculam manu propria detraxit,
Quod satis sibi esset, esse purpuratum sanguine.
Subuculæ & capiti è pertica suspensis æquius quam Saladino
Adscribes.

Restat ex Orientis Victore.

P. CONSALVVS SILVERIA.

BEatus futurus,
Matre Beatrice natus,
Quæ cum nouem liberos, numero, & sublimitate, cælos æquaturos peperisset,
Consaluum decimum, dum parit, perit.
Vagitu & lachrimis, triduo ante natiuitatem
Pænitentiæ prælusit.
Nobilitatem quam acceperat nascendo,
Vita fecit amplissimam, morte immortalem.
Sibi ipsi iuratus hostis,
Vexillum crucis secutus est,
Vt contra se militaret.
Ita mores perfecit suos,
Vt aptus Sancto Ignatio videretur, qui perficeret alienos.
In nouum orbem missus, vt nouo pasceret virtutis spectaculo,
Et nouũ orbẽ senescentẽ in erroribus, industria sua innouaret.
Potestas Prouincialis ei demandata,
Patrem omnium fecit, & seruum
Mercatorem se sacrum existimans,
Sortem diuini sanguinis, in Dei negocijs, ac lucris exercuit;
Venas auri in extima superficie terræ calcans, contempsit.
Vt venas cælestis thesauri, aperiret.
Regia dona respuens, nihil regium, sed ipsum Regem
Se velle ostendit.
Vt Dei Filio in Palatium regis Monomotapæ pateret aditus,
Dei Parentem primum induxit,
Veneficus à Mahometanis creditus,

Qui venena Mahometis, auferre venerat,
Rex quem Lymphis Sacris perfuderat,
Lymphatus morti eum addixit.
Noua tunica, & candido amiculo indutus,
Nuptias Agni immaculati expectans,
Intercluso spiritu, liber cælorum incola, euasit.
Ad eius tumulum Inferiæ 50 Christianorum
Quos sua manu baptizarat,
Ceciderunt.

P. GASPAR
BARZAEVS.

NAscendi fortuna Seruus,
Dei mancipio Rex.
Sancti Xauerii in laboribus Socius,
In munere Succedaneus,
Ita eum zelo & moribus expresit,
Vt vidisse probaret.
Nutantes in mari, suo aspectu firmauit,
Armuziam conspectu tremefecit,
Agnoscente Tartaro, quod mētes mouere venerat.
Insomnem mala paradisi, non Hesperidū fecerant.
Nequitiam eiiciens,
Virtuti locum, etiam ære conduxit:
Æque beneficus, cum illam expelleret, hanc aduocaret.
Cum se deprimeret, eleuari meruit,
Vel ideo, vt melius;
Ex specula alienis incommodis prouideret.
In hoc virtuti subiratus, quod latere non posset.
Parabolam de ratione ponenda, cum seruis explicans,
Ad reddendam è suggestu, ab apparitore morbo, vocatus,
Indoluit, quod in culcitra moreretur,
Gauisus quod die Sancti Lucæ,
Vel ideo, quod ille D. Pauli Apostoli gentium Socius,
Ille vero Apostoli Indiarū, S. Xauerii indiuiduus comes, obiret.
Sic qui strenue vixerat, in acie moritur.

P. EDMV-

P. EDMVNDVS CAMPIANVS.

EDmundum Londino, cælum dedit,
Cælo, Anglia reddidit.
Patriæ ſimul amicum & hoſtem,
Amicum, vſq; ad aras,
Hoſtem pro aris.
Errore ſuo felix,
Cum pernicioſa quæreret, ſalutaria inuenit,
Miſerandus, quod ambitione ſeduceretur,
Mirandus quod à tenaci malo reſipiſceret,
In Hybernia Luci ſuæ tenebras quærens,
Mores cum ſolo mutauit.
In Societatem dum ſe recepit,
Ita virtutem exercuit,
Vt poſſet omnia tolerare:
Martyrq; videri antequam eſſet.
Patriæ ſuppetias laturus,
Ab amicis, ad hoſtes delatus,
Cum diſpliceret veritas, in odia incurrit.
Captiuus, carcerem ſuum, Lyceum effecit:
Sæpiuſq; congreſſus cum hoſte, ſemper victor.
In ſuppliciis æque fortis, ac hoſtis ferus
Cum ſanguine ſuo, hoſtium manus, ſatiaſset,
Fide integer, in fruſta ſectus,
Dei victima factus eſt.

P. RVDOLPHVS AQVAVIVA.

DVcis Hadrianorum Filius,
Claritatem virtuti ſuæ, & maioribus debuit.
Animus Mundo maior,
Extra mundum eum poſuit.
In SOCIETATEM IESV cum tranſiret,
Liberalitatem ſine delectu exercuit,

Proiiciens non distribuens mundi bona,
Vtendumque tunc docuit
Inconsulta donatione.
Regem Mogorum, cum triennio excoluisset,
Sui ipsius non desiit esse colonus.
Apud Regem cum omnia posset,
Sola licere sibi laudanda credidit.
Inter delicias regales, paupertatis memor,
Ea sanctitate vixit,
Vt Angelus esse crederetur.
Precandi studio ita assuetus,
Vt non alia quiete indigeret, quam orationis:
Sæpeque Sol oriens eodē vestigio, cum inueniebat,
Quo occiduus reliquisset.
Salsetanum agrum, Deo subacturus
A Barbaris circumuentus,
Mori maluit, quam fugere.
Succisis genibus, tunc primum procubuit,
Cum stando mori non posset.
Diducta veste ceruicem vulneribus obiecit,
Vt profundiores cicatrices essent,
Iaculo ad extremum in pectore confixus;
Metam, ad quam tota vita collimauerat,
Attigit.

P. ALPHONSVS
CASTRIVS.

O Lissipone cum soluisset, in Indiam,
In Societatis IESV portum, anchoras iecit.
Initio nauigationis, periculum adiisset,
Tempestate fraterna, è naui extractus,
Nisi se amore fratris exonerasset.
Negans eum esse sibi fratrem, qui fugienti a sæculo esset remora.
Commeatus itineris emendicatus
Prælusit illi abstinentiæ, quam tota vita tenuit,
Cum in Molucis abunde laborasset

A Maho-

A Mahometanis interceptus,
Tormenta ſiccis oculis excepit,
Quod ea non timeret, quæ amabat.
Malenſq; capite carere, quam fide,
Securus ſub ſecuri, concidit.
Mari commiſſus,
Qui ſatis acerbè in terris, iactatus fuerat,

P. PETRVS CANISIVS

Conſulis Nouiomagenſis filius,
Conſul Religionis Chriſtianæ futurus.
Primus è Germanis, vir germanæ virtutis,
Nondum nata Societate, eidem ex vaticinio natus.
Orgiorum feſta, Nazareorum abſtemia celebrauit,
Qui pronubas tædas, vitare debuerat.
Seuerus ſui Cenſor,
Qui in tabulas quolibet die, factorum rationes referret,
Canis Auſtriacus, ab Huſsitis dictus,
Quod tam agendo, quam ſcribendo, non taceret.
Nouatores moribus damnauit antiquis.
Quod neminem formidaret, neminem contemneret,
Illo terribilis, hoc amabilis.
Omnium honorum capax, nullius cupidus,
Fidei amantior, quam ſui;
Et legenda ſcribens, & ſcribenda faciens:
Idoneus orator, qui quæ diceret, probaret exemplis.
Mutus in ſuis laudibus, facundus in alienis.
Authoritatem virtute, & eruditione ſtabiliuit;
Aſſentantium laudes, magis quam calumnias fugiens.
Aetate & meritis grauis,
Cum vitam non amaret, fata non timeret,
Silicernio medicamentis non eſſe opus affirmans,
Immortalitatem promeritus,
vitam mutauit.
Non amiſit.

P. AEMILIANVS LOIOLA

S. Ignatii ex Nepote filius;

Ex propinquò diſcipulus.
Patrũo ſanguine carus, virtute cariſsimus,
Pontificis aulicus futurus, in vrbem venerat,
Inter eos cōnumeratus eſt, qui maxime ſunt Pontificij.
Splendoribus humilitatem præferens,
Aulam ſæculi reliquit, cupiens ignorari.
Vt ſe melius noſceret
Vt eſſet Aemilianus, æmilian illi cordi fuit.
Cum plurimum in cauſa Dei laboraſſet,
Fæcundus ingenio facundus eloquio,
Vt fluidam oſtenderet ſuam dictionem,
Dignumq; oratorem, cæleſti purpura,
Rupta arteria, ex contentione dicendi,
Purpuream reddidit animam.

P. ANTONIVS ARAOZIVS.

PRopinquus S. Ignatij,
Vt magis propinquus eſſet,
Quem vincere non ſperauerat, imitari curauit,
Primus poſt primos, decem profeſſus,
Secundus in Societate, primus in Hiſpania Prouincialis.
Aduentu ſuo in Patriam, virtuti aditum fecit,
Meliorem relinquens, quam inuenerat.
Ex vrbibus in campos, ſuaui ſuada homines pertraxit;
Vrbibus vrbanitatem reſtituit,
Aulæ conſtantiam:
Quam ſi piam non inueniſſet: efficiebat.
Aulicum exiſtimaſſes, quod diu in aula vixerit,
Niſi quod nihil aulicum, omnia religioſa haberet.
Ipſe immutabilis in alijs Methamorphoſes effecit,

Nempe

Nepe exm aulico equite, equitem rari exempli.
Inter vitiosos quod nihil vitij contraheret,
Alexipharmaco ex herba confecto,
Omnes Socios, contra omnia vitia, præseruari aiebat:

Timorem Dei,

CHristiano aulicismo, intelligens.
Ita carus Principibus, vt ipsimet illi obsonarent,
Ex palatijs ad Xenodochia, non inuiũ iter Principibus ostẽdit,
Sibi vero, è terris ad cælum.

P. ANTONIVS
MADRIDIVS.

Mellitus plane homo,
Non quod in oppido Beierio à melle dicto natus,
Sed quod singularem moribus, indiderit suauitatẽ.
Patria non moribus villanus;
Secessit in vrbes,
Philosophiam humanam dum scrutaretur, Diuinam inuenit.
Ab ingressu Societatis, metus tristioris vitæ eum retardauerat,
Attrita Religiosa vestis, exultare gaudio fecit.
Aquam cribro è fonte petens, nihil aquæ,
Humilitatis & meriti plurimum tulit,
Sibi vni durus,
Semet ipsum impugnabat,
De se ipso etiam triumphauit.
Asthma difficultatem illi respirandi attulerat,
Sed commoditatem, præmeditate expirandi.
In flagellationibus hebdomodarijs,
Supra vestem flagellum expediens,
Ita imperante obedientia,
Plus animo, quam corpore sensit.
Facundia scelestos deterruit, pietate fregit.
vocem lachrymis interumpens,
Fecit incertum, flendone magis profuerat, an dicendo.

Idea virtutum:

Disertissimus miserabili suâ facie semiuiua,
Virutis lineamenta, in auditoribus imprimebat.
Deficiente natura, nunquam laborare defecit
Calendis Ianuarij, postremo concionatus,
E suggestu ad lectum deportatus,
A Calendis Aeternitatem exorsus est.

P. IACOBVS EGVIA

HOspes Sancti Ignatij.
Hospitalitate id meruit,
Vt esset è numero domesticorum Dei.
Profusus in homines, non auarus in Deum.
Cum hominibus dedisset omnia, se ipsum dedit Deo.
Aequus sui æstimator,
Aut parum, aut nihil, valere se existimans,
Nummum detritum, vocitabat.
Qui non nisi bonis immistus recipitur.
Omnium sensit incommoda,
Miserosque audiens, felices dimittebat.
Confessarius Sancti Ignatij,
Et singularis ipsius Encomiastes,
Si vel vnam horam Sancto Ignatio superfuisset,
Plura de eo habuissemus.
Sed potentiora Ignatij humilitatis,
Quam Iacobi, vota caritatis,
Sesquimense Eguiam, in cælum præmiserunt.

P. FRANCISCVS VILLANOVA

Victor sui ipsius,

NVnquam cum alijs, semper secum rixatus.
Cum libertatem obedientiæ cruci suffixisset,
Omnem impetum hostilem fregit.

Trigesi

Trigesimo ætatis anno Grammaticæ,
Toto ætatis tempore, non vltra Dialecticæ.
Limen attigit.
Tantum tamen profecit:
Vt Torres plus sub Villanonæ Magisterio, 30 diebus,
Quam à Theologis 30 annis didicerit.
Peruigil sui, & suorum cura,
Ramirio Vegara, Angelum custodem fecerat.
Fiducia, Dei beneficentiam prouocans,
Docuit esse prodigam.
Verum germani amorem demonstrans,
Iumentum agere iussit,
Vt Deo subiugalem faceret.
Vitam cum moribundis daret,
Virtutis non ætatis, peracto curriculo,
In meta constitit.

P. ALPHONSVS CYPRIANVS.

Ex primis lapidibus Romanæ Domus.
Deuexa ætate, Societatem complexus,
Adultam virtutem, in vltimum orientem deuexit.
Sancti Thomæ Coloniam, opera sua excoluit,
Felix Colonus:
Sub quo fides, & pietas refloruit.
Ad sentinam detrusum dixisses,
Nisi eam exhausisset,
Vel desicasset suis ardoribus:
Cofluentibus enim improbis eo Christianis,
Illud propheticum ingeminabat,
Commaculastis nomen meum & poluistis in gentibus.
Asilum iure dixeris probis, flagellum improbis,
Cum in pænam,
Ex Lusco faceret cæcum, ex balbo mutum.
Ad Kalendas Sextiles,
Cum vincula Apostolorum Principis, veneramur,

Conſcius ſuæ libertatis,
Nexu corporis ſolutus eſt.

P. ALPHONSVS
AVILA.

HIſpalenſis Collegii primus accola.
Parentis ſui videndi deſiderium,
Nouo paupertatis, pauit ſpectaculo;
Patriam ingreſsus, vt amorem patris opprimeret,
In Xenodochium amoris Dei diuertit
Excluſus inde ianuis iam clauſis,
Stratis humi membris,
Suauius quam in culcitra molli recubuit:
Sic diuino ſternente amore.
Cum nunquam ſe minimum doleret,
Indoluit, quod minimus, eſſe non poſset,
Baſilii Magni ſibi nomine impoſsito:
Verum ampliſsimi nominis capacitatem, virtute exæquans,
Se magnum in minimis fecit.
Cuius concionis frequentiam, cum templa non caperent,
Nec ipſa Granata Baſilium,
Dignam magnitudine ſua ſedem,
Baſilius in cælo occupauit.

P. CONSALVVS
VAZIVS DE MELLO.

COnimbricenſis Rhetor
Stradæ Concionibus, Orator Chriſti factus.
Id effecit dicendo,
Vt theatra vacarent, in templis Deo vacaretur.
Dialecticæ Profeſsor,
Compreſsam dexteram, ſic in opus explicuit,
Vt nunquam eum vidiſses ocioſum.
Prudens Mycerinus:
Qui noctes in dies, laboribus conuerterat,

Breues

Breues existimans dies,
Cum pro æternitate, est laborandum,
Qui se omnium Patrem & seruum fecerat,
Omnium amorem promeruit,
Omnibus medicamina prouidentibus,
Cum mors vinci nequiret,
Tabes corpus, non animum consumpsit.

P. IOANNES CARRERA.

COrporis magnitudine,
Virium robore,
Magnitudini animi suppar,
Cum Deo, dæmoneq; luctatus,
Hunc vicit, ab illo victus est.
Laruam enim per fenestram intrantem, ferro domo abegit.
Deo intima cordis intrante, patria domo abactus est.
Sicq; victori Deo:
Trophæum de se ipso, in Societate IESV, per sexenniũ erexit.
Pænitentium causis intentus,
Aures suas nemini obstruens,
Audiendo plus profuit, quam dicendo.
Perire nesciens, cum in omnibus mẽbris non esset,
In cerebro per tredecim annos, integer mansit.
Docens;
Etiam post fata se aliqua sui parte viuere.

P. LVDOVICVS MEDINA.

ET genere & moribus clarus.
Animi tranquillitatem,
In Italia inter arma quæsiuit,
Ex Hispania in vltimum orientem prosecutus est:
Cumq; assequi non posset,
SOCIETATEM IESV ingressus,
Quod foris quæsierat, intus in se ipse inuenit.
Ex milite Sæculi, Christi miles factus,

Gloriosior quod in hac virtutibus, in illa armis enituerit,
Merere Christo cum cæpisset,
Famæ & honoris stipendiis meruit.
Et qui olim Cohortes militum duxerat,
Iumentorum turmas egit.
Imo ipse iumentum Christi factus est.
De se ipso cum triumphasset in terris,
Capitolio cæli, receptus est.
Incorrupta lingua decennio,
Nunquam corruptæ veritatis ab eo testis remásit.

P. CORNELIVS VISHAVÆVS.

OPtime educatus, ad optima.
Virtutem artibus, ita coniunxit,
Vt leuitatem earum, sua grauitate corrigeret,
Cum claustra religiosa, hominibus repleiset,
Id quod aliis suasit, in se ipso expressit.
Societatem ideo amplexus,
Quod sitim sui Zeli, in ea explere posset.
Fabrum suis precibus, ne Louanio discederet.
Pertinaci febri detinuit.
A Fabro vt ædificio Dei quadraret,
Optime exercitatus,
Nihil humanum sapere,
Solam humilitatem nosse, de sola loqui.
Vnde illud effatum:
Vt mundus ex nihilo creatus est,
Sic mundus virtutum, in animo, ex nihilo producitur,
Humilitatem intelligens.
Obedientiæ cum oculos ademisset,
Vt instar talpæ, cuniculos vsq; ad radices humilitatis ageret.
Vbi excessit, oculis reseratis,
Ita migrauit è viuis,
Vt viuere videri posset.

P. IOAN.

P. IOANNES BAPTI-
STA BARMA.

Theologiæ Profeſsor,
Vt eam vita profiteretur,
Societatem complexus,
Modeſtiæ & pietatis traduces,
Solo aſpectu in alios deduxit.
Bonus Orator voce, melior manu,
Vnde voci pondus.
Lachrymis, & ſuſpiriis,
Spiritum auditoribus inſpirans.
Deo non quaſi penula, vtendum admonebat.
Bernardum exiſtimaſses, cum Guilelmo,
Si vidiſses, pacificam hoſtiam tenentem,
Vt inter hoſtes, pacem, pacis Deus reduceret.
Cum ob ſuorum ærumnas, magis quam infirmitatẽ indoleret,
Die Sanctæ Crucis, ad crucis præmia deceſsit.

P. IOANNES QVADRA.

Qvalis eſſet futurus, ipſa docuit pueritia,
In qua voluntariam paupertatem, voto promittẽs,
Id continuo perficiebat, quod cæptum erat.
Vt ſe talem exhiberet, qualem eum eſſe decebat,
Quem Deus elegiſset.
Magiſtrum in Ludo,
Oratorem in templo,
Iudicem in Tribunali pænitentiæ.
Virtutes coluit ſingulas,
Ac ſi non curaret vniuerſas.
Cum videretur ſpecie exteriori plus amænior,
Virtutum temperamento, reddidit grauiorem.
Corpori ſuo ea damna intulit,
Vt cucurbitulis locum medici non inuenirent
Cum omnium animos in ſe vno ſeruaret,
E viuis ſublatus,

Omnium lachrymis, decoratus est.
Præficis id occinentibus,
Precioſa in conſpectu Domini, mors Sanctorum eius.

P. MARTINVS OLAVIVS.

IN vrbe victoria, Triumphator futurus naſcitur.
Stipem Compluti, primus S. Ignatio cum fænore contulit.
Vt nouum orbem Cælo vectigalem faceret,
Instructam Bibliothecâ nauim,
Nouum armamẽtarii genus, præmiſit.
Intantum opus animum vt ampliaret,
Arctatus eſt in Cænobio.
Cum ad omnes religiones propenſus eſſet,
Sola Societate excepta,
Ab hac vnica monente Deo
Exceptus eſt.
Virtutem doctrinâ, doctrinam virtute illuſtrans,
Nunquam diſcere renuens, nunquam docere dedignatus.
Ad metam nunquam properauit,
Quod nullam virtuti præfixiſset,
Dum obitum Sãcti Ignatii amicis in vrbe nunciat,
Sæuiente Canicula, concidit.
Illud intermortuis vocibus ingeminans,
Non intres in iudicium cum ſeruo tuo Domine.

P. LEO LILIVS.

IN Societatem IESV receptus,
Liliatorum ordinem exiſtimans,
Verum ſe Lilium exhibuit.
Vita & moribus candidus,
Odore probos attrahens,
Improbos repellens,
Laboribus valetudinem, cum attriuiſset,
Diſciplinæ muneribus ſolutus,
Libertati, reparandæ valetudinis traditus,
Obedientiæ Filius,
Perniciem & ſeruitutem eam exiſtimans,

Tanquam

Tanquam re illicita abstinuit.
O Verum Lilium:
Quod non luxuriat, nisi inter spinarum aculeos.
Philosophus Christianus,
Qui mortem non timuit, cum nec amaret vitam.
Manibus date Lilia plenis,
Nec tu pullatam fer Libitina togam
Candido enim Lilio parentandum est.

P. RODERICVS MENESIVS

ILlustris Sanguine
Virtute illustrior
Illud alienum, hoc illius proprium.
Caduca respuens ne caderet,
Inuito mundo & propinquis,
Ad Societatem à Deo inuitatus est.
Ita in diuina Concessit, vt ablatus ab humanis crederetur.
Ab amicis ideo hostis habitus, quod dissimilis.
Plus amans Lacernam, quam purpuram.
Vtilissimis decoratus visionibus,
Monstrum se agnoscens,
Cum se optime inspiceret.
Summis doloribus pressus,
Inter omnium lachrymas,
Lætus, Letho peremptus est.

P. PETRVS CODACIVS

E Pontificia Familia oriundus,
In Pontificiam transiit cohortem victurus.
Nihil vnquam habuit quod causa Dei non daret.
Marthæ sibi munus vendicans,
Nihil nosse volebat, nisi necessitates omnium.
Templum & domum sua cura Societati prouidit,
Quidquid enim optare poterat, visus est impetrasse.
Commune factus ærarium,

Conſcio ſe, neminem vlla re voluit egere.
Aſperioribus à S. Ignatio acceptus,
Suauiſsimum Patrem vocitabat,
Sic Patientia obſonante.
Ita addictus Societati,
Vt ne flagris quidem ab eius domo, expelli poſset.
In limine S. Ignatii, repentè cum concidiſset,
Qui omnium in vita doloribus condoluit,
Sine diuturno morbo,
Limen æternitatis attigit.

P. IOANNES CARRERA.

PRæcoci Senectute,
Adultam in pueritia virtutem,
Cum mature inchoaſset,
In primordiis abſoluit.
Vt in Societatem legeretur,
Memoria promeruit.
Innocentiam in eo ætas, non minuit, ſed auxit.
Beatiſsimum tutelarem, ſic expertus familiarem,
Vt à vigili cuſtode, ad orandum excitaretur.
Pigritans:
Ab eodem in pænã, per aliquot dies relinqueretur,
Sed poſt,
Amantium iras, ſucceſsit amoris redintegratio.
Miſsus ad obeuntis ſolis Indos,
In Florida & Mexicano cum ſatis laboraſset,
Quieuit.

P. IOSEPHVS ANCHIETA.

Orientis Felicitas,
E Fortunatis Inſulis exorta.
Octauum vniuerſi orbis miraculum,
Alter Orientis Thaumaturgus
Cum vellet optimos omnes, ſe omnibus meliorẽ,
Societatis

Societatis IESV normam viuendi complexus,
Norma omnium virtutum factus est.
Particularem domum habere nolens,
Orbem nouum adiit.
Vbi,
Senes bene mori docuit, pueros bene viuere,
Feris cum ademisset feritatem,
Expertus est difficilius hominibus, quam feris imperare.
Commune factus oraculum,
Cum etiam futura prædiceret.
Iniuriis cæli minime obnoxius,
Quod nunquam cælo iniurius fuisset.
Cum suis laboribus beasset Brasiliam.
Nullum genus mortis extimescens,
Corporum & animorum medicus,
Infirmis seruiens, morbum contraxit
Laboribusque cum vita finem posuit.

PETRVS CORREA.

Nobilitatem & viuendo, & nascendo fecit amplissimam,
Brasilici nominis eximius insectator,
Zelo postmodum meliore animarum zelator.
Societati IESV ideo nomen dedit,
Vt quam plurimos è Brasilianis amicos Dei faceret:
Veteresque iniurias obliteraret nouis officiis.
Sicque de suis hostibus, amicus triumphauit.
Grauissime vulneratus in capite,
Obedientiæ medicâ manu subitò conualuit.
Lanienam corporum, cum non posset cohibere,
Animabus consuluit.
E succidaneis Orci victimis, Dei efficiens hostias.
Cui vitam & virtutem dederat,
Eo duce barbari illi abstulerunt.
Sed
Nunquam securior visus est, quam cum periret.

P. ANDREAS OVIEDVS.

NAturæ bonis optime vſus,
Vt non data, ſed parta, viderentur.
Sapientibus Apollineam Laurum præripuit.
Ne fulmina hoſtium ſibi nocerent,
Sylueſcere metuens, ſyluas cogitarat,
Niſi Sancti Ignatii monitis,
Intempeſtiuam in cauſa Dei, intellexiſset eſſe quietem.
Igitur ab eremo ad vrbes,
Ab vrbibus, in nouum orbem, deſtinatur.
Coactus ſuſcepit infulam
Qui libens in remotiſsimas pergebat Inſulas.
Hyperendymate & annulo ornari noluit,
Ne lacernam paupertatis exueret.
Regiam Abaſsinorum, Chriſti Regno ſubiiciens,
Regem Adamantem, intractabilem expertus.
E Palatio, ad carcerem deductus,
Cum ſæpe eum permutaſset, nunquam animum.
Turcis furentibus, extitit inuiſibilis,
Quod ad eius aſpectum cæcutirent.
Cum iam precioſus eſſet cælo,
Pretioſam mortem, vitæ meritis emit.

P. MICHAEL LAETAVALLIS.

VIr laborioſæ Charitatis.
Vt prima ætas puerorum matureſceret,
Repueraſcere eum non piguit.
Senas cum quotidie horas, in ludo conſumeret,
Non delaſsabat temporis longitudo,
Nec pueriles nugæ, commouebant,
Sexcentorum Cõfeſsiones ordinarias cum audiſset,
Alimentum corpori eſſe dandum reuocantibus,
Alium ſe cibum comediſse dictitabat;
Sola conuerſione animarum ſaciandus.

Viuere

Viuere nesciens, nisi vitam omnium tueretur,
Peste grassante, exhibuit se medicum,
Bacchante inferno, Christi militem.
In virtutis viam cum alios deduxisset,
Ipse absoluit.

P. FRANCISCVS STRADA.

Fvturus Neapolitanus miles,
Militiæ Dei, per Sanctum Ignatium, adscriptus est.
Gloriam ex moribus appetens,
Non minus quam ex armis quæsisset.
Virtutem primis annis,
Simul promisit, & exhibuit.
Vix adolescens, & iam pauperum Pater.
Disertissimus Christi Orator,
Æque in dicendo, ac in agendo, vitia fugiens.
Non persuadere, sed imperare visus est.
Gallico Hercule fortior:
Qui non auro homines attraxit,
Sed ab auro retraxit.
Non auribus vinctos,
Sed corde.
Brixiæ Centenos Adolescentes Oratione,
Ex vrbe, ad claustrum euocans,
Ostendit quid posset Christiana eloquentia.
Dixisses Cyneam Tessalum,
Cum non Pyrrho sed Christo,
Ciuitates vi dicendi adiungeret.
Dixisses Timotheum Poliorcetem,
Cum vitiorum castra & propugnacula
Eloquentia expugnaret.
Tota vita Orator Christi,
Et voce & moribus,
Cum vita, conclusit dictionem.

BERNARDVS CANTABER.

Vvlgi opinione & voce, Sanctus habitus.
Torrentium vortices sicco vestigio sæpius transgressus,
Profundius descendere non poterat,
Cum iam in imo fundo humilitatis
Constitisset.
Virtutis veteranæ, Prototypon Tyronibus factus.
Vbiq; suo commodo intentus,
Recenti tyronum feruore aluit suum.
Subseciua captans tempora,
Prodigus temporis esse noluit,
Cum esset auarus meritorum.
Orandi constantia,
Hostis sese in varias figuras transformantis,
Vicit inconstantiam.
Sanitatem vt aliis daret,
Suam periculo obiecit.
Verus Christi pauper.
In nosocomio sepultus est.

P. DANIEL PAIEBRVCK.

Patris Fabri Præda.
Vir Apostolici Spiritus.
Laboris amantior, quam quietis.
Felicem se reputans, cum miserorum causis attenderet,
Nihil sibi vsurpans, nisi calamitates proximorum.
Nunquam se miserum doluit,
Nisi cum videret se cum aliis pati.
Sæpe læsus, semper lætus.
Apud Mamertinos,
Cum inimicitias extinxisset,
Superstitiones sustulisset,
Palæstinis vt prodesset,

Iudæos

Iudæos vt conuerteret,
Græcam & Hebræam,
Quidquid ab animarum cura superfuit,
Mira parsimonia temporis didicit.
Cum ageret animam,
Ad solennem professionem admissus;
VItimo Spiritu se Deo consecrans
Natali Christi die,
Æternæ natus est vitæ.

GREGORIVS CABEDVS.

OB maturitatem morum,
Senex natus credi poterat.
Fallacis Sæculi cognita fraude,
In Societatem IESV transiit.
Ne quid sibi profani adhæresceret,
Herculis nomen reiecit, Gregorii assumpsit.
Cum valetudinis causa,
Romam, Perusiam, Lauretum esset traductus,
Qui peregrinus mori desiderauerat,
In ipso itinere ad Patriam,
Animam apud Fanum Fortunæ efflauit
Æternum fortunatus.

P. HIERONYMVS NATALIS.

DIgnus Sancto Ignatio Filius.
Societati adiunctus,
Prouecta & confirmata ætate,
Virtutem in ea effecit prouectam.
Eo citius perfectionis iter absoluere satagens,
Quo seriùs inchoauerat.
In hoc mirandus.
Quod se esse non crederet, quōd erat,
Nisi mutuatus à virtutibus radius
Eum proderet.

K Cum

Cum summos magistratus obiret,
Vice Generalis,
Comissarii, Assistentis,
Prouincialis,
Nemini deesse curauit.
Rationem viuendi per Prouincias vulgaturus,
Factis, & voce promulgauit.
Principibus æquè carus, ac vtilis.
Meritis ætatem adæquans,
Tyronibus emeritus Christi miles idea factus,
Plenus dierum ac bonorum operum,
Resurgenti Christo, è tumulo
Obuiam,
Ad tumulum delatus est.

P. EDMVNDVS AVGIERIVS.

VIx ex ephebis excesserat,
Cum de mundo excessit.
In Societatem IESV se recipiens,
Optimas disciplinas ita coluit,
Vt mereretur habere,
Ita habuit, vt à nullo dedignaretur accipere.
Patriæ eam pietatem præstitit,
Vt piam faceret.
Pestem Lugduno, tam corporum, quam animarum,
Illam laboriosa industria,
Hanc doctrina depulit.
Cum etiam ab hostibus amaretur,
Nec posset satis amari,
Incurrit in odia.
Iamq; Pater patriæ, parricidio pelleretur,
Nisi suaui & efficaci voce Eloquentiæ,
Ex hostibus, Seruatores suos fecisset.
Dignus Caroli Regis amplexibus,
Qui in sinu Dei quiescere debuerat,

Ciuilibus

Ciuilibus bellis, è Patria pulsus,
Nouocomii extinctus,
Veram Patriam inuenit.

IACOBVS SARAVIA.

PAuperum Quæstor,
Neminem egere permittens.
Labore suo, pauperibus subsidium, elaborauit.
Liberalis in homines,
Ne esset parcus in Deum,
Se ipsum Deo in Societate donauit.
Marthæ Officiis intentus,
Id quod vnicum, & necessarium est,
Non neglexit.
Officiis & occupationibus,
Se mutuò concedens,
Non donans.
Colaphum immeritus, cum accepisset,
Tanquam pro beneficio gratus extitit,
Cum in prædones offendisset; sua securitate defensus,
Rosario plus quam armis, confisus.
Supremo tempore; maximum Dei donum prædicabat,
Quod in Societate IESV moreretur.

P. IOANNES PELLETARIVS.

TError Hæreticorum.
Amor Fidelium.
Illis timendus, quod minus esset notus,
His amandus, quod non ignotus.
Cum appeteret quæ minabantur,
Contemneret quæ pollicebantur,
Nec tolerari, nec vinci potuit.
Diuæ Mariæ Doctor appellatus,
Quod virginis Laudes, continuo prædicaret;
Honorisque illius iacturam vitâ reparatet.

In vincu-

In vinculis libertatis ſuæ memor,
Timendus iis extitit, qui timeri voluerant.
Vincirique animum non poſſe oſtendit.
Carcerem ideo amauit,
Non quod lateret,
Sed quod cum perditis, iam non viueret.
Cadurcenſem Epiſcopatum,
Beneficio morbi effugit.
Ob continuos enim labores,
Tabidus dicere poterat:
Tabeſcere me fecit Zelus meus.

P. IOANNES AL-VARIVS.

VIrtute ſuorum notus, notior ſua,
Quibus Præfuit ita profuit,
Vt Angelica ſua puritate,
Ipſæ Ædes,
Domicilium Angelorum vocarentur.
Vitam dedit animis, reddidit membris.
Sæpe progreſsus in forum,
Intempeſtiuum in bona cauſa exiſtimabat ſilentium:
A Ludo ad Seria,
Ab exagitandis tauris,
Ad meliorem venationem auocabat.
Lachrymis eloquens,
Quibus ſua ineſt vox:
Mediam dum abrumperet dictionem,
Emendatione auditorum concludebat.
Archetypon Patientiæ,
In Summis doloribus,
Mortem potius quam vitam agens,
Cum eam commutaret,
Illis qui morienti ſe commendarant,
Vitæ mutationem impetrauit.
Etiam tunc Zeloſus.

P. NICO-

P. NICOLAVS GAVDANVS.

Oppreſsæ veritatis gaudium,
Liberatæ Securitas.
Nunquam pacem amauit, quæ cum fide púgnaret.
Verus Chriſti miles,
Sæpe ante ſigna procurrens,
Ne quis palmam præriperet.
Conſilio Dux,
Labore miles,
Vt dignitate cæteros,
Ita meritis anteceſsit.
De hoſtibus Eccleſiæ ſæpius victor,
Victos Beneficiis obruit
Valetudinem medicorum iudicio proſtratam,
Laboribus & vigiliis recuperauit,
Nouo medicæ artis inuento.
Nuncius Pontificius in Scotia,
Interiiſset,
Niſi Gallus mercator,
Errore pro Gaudano interceptus,
Tergum verberibus oppoſuiſset,
Hac merce nobiliori opulentior.
Gaudanum,
Louanio, Ingolſtadio, Vormatiæ,
Abſtulit.
Inuidum felicitati fatum.

P. EMANVEL NO-BREGA.

COncionibus Stradæ
Ad Societatem vocatus.
Ei vitam donauit, à quo acceperat.
Sciens nullum melius poſſe ſeruare
Quam qui dedit.

Iussus scripto, testari suæ voluntatis desideria,
Scripsit,
Vellem nescire quidquam velle,
Sed in omnibus Christum, & hunc
Crucifixum velle.
Paupertatis ambitiosus ostentator,
Lacernam & detritum galerum
Suæ Matris carissima ostentabat munera.
In Brasiliam missus,
Vi tempestatis naufragus,
Portum cælestem cogitans;
Cæteris desperantibus,
In eo anchoram spei iecit.
Cum tantum hominem Brasilia non caperet,
Cælum accepit.

P. CORNELIVS CROCVS.

HOra vndecima, ad vineam Christi accessit,
Diurnum tamen denarium promeruit,
Feruens operarius,
Qui cæteros & assequeretur, & antecelleret.
Ad portum Societatis, multis meritis,
Onustam nauim applicuit:
Id contendens,
Ne in portu naufragium faceret,
Æstum Sæculi fugiens,
Vmbram religiosam quæsiuit.
Noxio tempore vrbem ingressus,
Cælum commodo.

P. IOANNES NVNNIVS.

Ioannem Nunnium
Pietas Societati parauit,
Dei beneficentia dedit.
Pro pauculis hominibus,
Multorum filiorum Abbas futurus,

Matre

Matre Dei vocante,
Regna & orbem, animo capaci complexus est.
Dignus cui inuito Patriarchæ dignitas imponeretur,
Pedisequa enim corporis vmbra,
Virtutis honos est.
Iure dubitabis, maioremne dignitati contulerit,
An à dignitate retulerit dignitatem
Cum honores fecit virtuti vectigales.
Ad omne humilitatis ministerium primus;
Obedientiâ tantâ,
Vt qui versiculum sæpius sibi occinebat,
At tu sæue Aquilo nunquam mea vela videbis.
Is agens animam, vel pridie expiraturus,
Ignatio innuente,
Aquilonibus se libens committeret.
Fatigari nescius in terris,
Aditum dum in Æthyopiam præstolatur,
Ad cælum inuenit.

P. IOANNES PO-LANCVS.

Tvrriani fidelis Socii exemplo,
Ad Societatem animum appulit.
Nihil se scire reputans,
Nisi se ipsum sciret nescire.
Cum ex Philosophicis, & humanioribus satis hausisset,
Sub S. Ignatii disciplina,
Velut sub Chirone altero christianus ereuit Achilles
Sancto Ignatio.
Lainio, & Borgiæ.
Velut Alcides, in suffragium Atlantis accitus,
Totâ vitâ pondus Gubernationis sustinuit.
Inter varios occupationum euentus,
Inuariatam frontem, testem animi tranquilli, exhibuit.
Herculi suppar, non vnum fatigauit Euristeum
Cumq; Hæreticos, semper confecisset,

Non victus proditione, sed victor virtute.
Romæ sexagenario maior moritur.

P. FRANCISCVS SVAREZ.

VIrtute & doctrina facilè Princeps.
Alter sæculi nostri Augustinus.
Monstrum ingeniorum,
Non Africæ, sed Hispaniæ.
Cum omnium ingenia, in se collegisset;
Sine noxâ viuens,
Sine suspicione erroris docens,
Dignus euasit præceptor, sub quo erudiretur mundus.
Cum ipse Romæ, non ipsi Roma sufficeret,
Salmanticam, Pinciam, Conimbricam,
Virtute & doctrina illustrauit.
Ita Deo coniunctus,
Vt à terra, corpore, auelleretur.
Plurisque æstimaret, vnam horam de Deo meditãdi,
Quam scientiam vniuersam.
Ita Ecclesiæ Dei carus,
Vt illius libris iniuriam illatam,
Purpura ei oblata vindicaret.
Cum Deum descripsisset ac si vidisset.
In cælum translatus, id quod scripsit,
Contemplatur.

P. THEODORICVS AMSTERODAMIVS.

COnsularis Sanguinis germen.
Disciplinas aptus ad omnes,
Propensus ad singulas.
Societatis Ornamentum.
Quem Martinus Olauius,
Ex vniuerso Seminario Romano,
In Sementem Dei destinauit.
Vir

Obedi-

Obedientiæ Exquiſitæ,
Modeſtiæ Singularis,
Zeli inſaciabilis.
Dignus cui Vienna in cælum,
Propempticon Angeli cecinerunt.

P. PHILIPPVS FABER.

VTraq; ætate, & humanæ vitæ, & religioſæ prouectus.
Dies & annos non habuit vacuos.
Nunquam enim vacationẽ ſibi ab opere conceſsit.
Mortem prouocare non metuens,
Cum eam cauſa Dei, in beneficiis, poſuiſset.
Mutinæ ſæuientibus morbis,
Vt Chriſto in pauperibus ſeruiret,
Vitam eius cauſa poſuit,
Qui ſui cauſa poſuerat.
Præsbyterorum ſepulchro conditus,
Qui verum paſtorem egerat,
Animam ſuam ponens pro ouibus.

ANTONIVS LEGA.

POſtquam diuinis præceptis, in omni vita paruit,
Ad conſilia Chriſti fecit gradum:
Aurifex artificio, & induſtria,
Cum pretioſam mortem meritis ſibi pararet.
Religioſarum legum, etiam apices obſeruans,
Ne vnum iota prætermiſit.
Cæſarianæ virtutis æmulator,
Egénum à conſpectu triſtem, nunquam dimiſit.
Apoſtolici muneris imitator,
Menſæ domeſticæ reliquias colligebat,
Ne pauperibus perirent,
Induſtria caritate,
Sexagenarius iuuenili animo,
Plurimorum ſubleuans inediam;

M A paūpe-

A pauperibus ad æterna tabernacula
Est receptus.

P. ALPHONSVS DEZA.

MAximæ spei
Non irritus fructus.
Antequam de se victoriam Deo concederet,
Velitatione annua vsus,
Decretoriis armis Deo decertante,
Per morbum corporis, medicinam animi accepit.
Hærentis in salo nauiculæ, funem magis præcidit,
Quam soluit.
Viginti & amplius annis, sacram scientiam professus,
Non magis calamo, aut voce, quam factis docuit.
Cum summo ingenio, perfectam humilitatem,
Cum singulari doctrinæ, admirabilem obedientiam.
Coniunxisset.
Desiderium sui reliquiens.
E viuis ablatus est.

P. RICCIARDVS CERVINVS.

MArcelli secundi Pontificis nepos.
Maiorum gloria nobilis, nobilior sua.
Quæ iucunda suauiaq; vulgo habebantur,
Illi spinarum instar, ac fellis fuëre.
Cum solus saperet Deus.
Felix Genitor, qui spontaneam obtulit hostiam,
Ricciardum.
Ingrata Patria,
Quæ Patrem Patriæ, ita inurbanè suscepit,
Vt pro Collegio domum probationis,
Vir in omnibus probatus in ea inueniret.
Sed sapienti vbiq; Patria,
Ceruinus vbiq; carissimus,

Dum

Dum rationes ſui officii explet,
Proxime eam domũ reliquit, mortalitatis exuuias,
In qua Deus, noſtri cauſa ſuſcepit.

LVDOVICVS ALMEIDA.

In vltimos Orientis fines,
Animas non aurum ſecutus,
Lucrum Chriſtianum exercuit.
Chirurgus arte, corporibus ſuccurrens,
Animas ſui laboris pretium fecit.
Infantibus vt Chriſtum cum lacte inſtilaret,
Chriſtianas conduxit nutrices,
Vacino lecte repulſos,
Ne belluarum feritatem, ſugierent ab vberibus,
Caritatis Chriſtianæ ſinu fouit.
Ipſe ablactatus à Sæculo,
In Societate IESV.
Gratia curationum, auxit
Orientis Eccleſiam.
Ita cæteros excolens, vt ſibi ſimiles faceret.
Cum iam pluribus ſalutem corporis, & animi attuliſset.
Immortalitatem ſibi acquiſiuit.

P. PAVLVS GAMERS.

Socius Sancti Xauerii
Goanis prius Fama notus, quam de facie.
Homo alterius vitæ.
Chriſtianæ libertati, primus pretium fecit,
Cum ex emptis mancipiis, Chriſti libertos,
Et multorum liberatores faceret.
Goa nunquam exire permiſsus,
Tota tamen India virtute notiſsimus.
Vigiliis ſopitos excitans, ieiuniis famelicos paſcens.
In noſocomis domeſticus.
Senio confectus, & laboribus, effugit ex oculis,
Non ex animis hominum.

P. IACOBVS LE-DESMA.

Ex Complutensi Academia,
In Christi scholam transiit.
Vt ibi mysteria disceret,
Quæ Sapientibus absconduntur, reuelantur paruulis.
Ita hæc didicit,
Vt sui contemptum amaret, dum se non amaret.
Splendorem sapientiæ, vmbram existimans,
Sine radiis Sanctitatis.
Oraculum vniuersi orbis factus,
Anno Iubilæi à Gregorio decimo tertio,
Cum neminem inauditum dimitteret,
Iubilæi Anno, Christi seruus,
Libertate vitæ beatioris,
Donatus est.

P. IOANNES FER-DINANDVS.

DOctrinam in Societatem secum adferens.
Pietati æterno fœdere iunxit,
Vt esset pie Doctus.
Cōcionibus ædificans & destruens,
Dei habitacula, & scelerum officinas.
Oris diligentissimus Custos,
Ne aperto vasculo odor pietatis expiraret.
Zelosissimus Operarius,
Cum inter medios hostes, Dei amicos faceret,
Et inter arma lethaliaq; vulnera,
Pacem cum Deo, sanitatemq; reduceret.
Sæpe etiam ab hostibus telis impetitus.
Suorum incolumitatem negligere nesciens,
Obitus sui diem prænuncians,
Aeternos siue nocte dies inchoauit.

P. AN

P. ANTONIVS POSSEVINVS

Ad diſciplinas ita propenſus,
Vt inſomnem facerent.
Ita in acquiſitione earum cautus,
Vt è præceptoribus Calabrum & Genuam reſpueret,
Cum ille errores Auerois, hic Arabis ſaperet.
Hiſtoria ſcribenda|ab ingreſsu Societatis eum retardabat,
Qui ſacta ſua poſteris relinquere debuerat,
More ceruorum quod animo parturiebat, peperit.
Cum vox Domini præparantis ceruos,
Per Leonetum intonuit.
Cum veritatem plus amaret, quam Principum gratiam,
Sueciæ, Poloniæ, Moſchouiæ
Vtilis adfuit Orator Pontificius.
Incertum fecit
Pluſne calamo, an voce præſtitiſset.
Cum & reuocantibus ipſe præiret,
Et quòd ſuadebat verbis, exemplis confirmaret.
Dignus qui veritatis annos æquaret,
Cum iam illam ſuperſtitem reliquiſset
E viuis exceſsit.

P. IOANNES RAMIRIVS.

E veterano Eccleſiæ milite,
Societatis Tyro factus.
Eadem Luce, quâ Deus aſsumpſit hominem;
Depoſuit veterem hominem.
Ita ab infante factus eloquens,
Vt vna Concione triginta à quæſtu exitiali abſtraxerit.
Quadrageſimalibus vero concionibus,
Ducentos clauſtris religioſis incluſerit,
Nunquam enim ſe facundum exiſtimabat
Niſi vinceret.
Cum de vitiis linguæ diceret,

 Chriſo-

Chrisostomum existimalses,
Nisi esset tolerantia ferreus,
Nosocomii pedores, Paradysi existimans odores,
E terris ad Paradisum cæli abiit.

P. GREGORIVS DE VALENTIA.

Inter Theologos sui temporis nulli secundus,
Inter pios primus.
In Societatem se subduxit à Sæculo,
Non quia timidus, sed quia prudens.
Cum omnium animos teneret,
Venalis omnibus fuisset, si habuisset precium.
Instituit Homericum certamen,
Cum à Parisiensibus & Poloniæ Regibus postularetur.
Sæpius Clemente Octauo auditore, disputator,
Ab eodem Laurum tulit.
Tandem mortali vita deposita
Immortalitatem stilo & virtute promeruit

P. OLIVERIVS MANAREVS.

FErtilis Christi gleba,
Ex semine verbi Dei,
Centesimum attulit fructum.
Cum è Stradæ Concione,
Dei horreo illatus est,
Æliam nostri sæculi dixeris,
Cum multiplicaret farinam;
Christi imitatorem,
Cum quinq; panibus domesticos Dei pasceret,
Sed
Illud magis mirandum.
Quod vlcisci cum posset nollet,
Miseris donaret omnia, molestis condonaret,

Gallias

Gallias cum authoritate ſua defendiſset,
Laboribus beaſset,
Cælo debitus, ſublatus eſt.

P. HIERONYMVS DOMENECVS.

VAlentinæ Eccleſiæ Canonicus.
Ex hoſpite Parmæ, domeſticus Dei,
Ex Lutetiæ Peregrino,
Viator cæli factus.
Iratis reconciliandis præcipuum inſtrumentũm
Sancto Ignatio,
Quod autoritate plurimum valeret,
Nec ipſe vnquam commoueretur.
Ex peccatricibus Magdalenas,
Ex vſurariis Zachæos,
Cum plurimos effeciſset.
Deſiit viuere.
Beata Italia quæ talem meruit habere
Qui Diuina poſſet docere, ac patrare.

P. THOMAS COTHAMVS.

In Anglia natus,
Vt martyrio pararetũr.
Martyr videri poterat, antequam eſſet.
Vix aliquem virtus durius exercuit.
Doroberniæ interceptus,
Trium annorum carceris moleſtias expertus,
Sibi ipſe pænas auxit,
Cum eas amaret.
Lictorem complexu ſuo, amicum Dei effecit.
Reginam caput Eccleſiæ pernegans eſſe,
Caput laqueo amiſit.
Purpuratus Chriſti miles,
Etiam moriens cilicium non depoſuit.

FRANCISCVS ARANEA.

Avorum gloriam auxit, ſuis virtutibus.
Quas cum Decennio exercuiſset,
Fidei Teſtis,
Ceruice vulneratus, non concidit,
Quod magnanimum caput, in terram deprimi neſciret.
Inter vepres latitans,
Roſas ſanguine cruentabat,
Sertum ſuo triumpho præparans.
Deuota ſuperis victima,
Cuius Sanguine barbari Idolis ſacrificarunt,
Christi Araneus,
Cum ſe euiſceraret.

P. PAVLVS DE VALLE.

MVltæ virtutis homo,
Sic Sancto Xauerio atteſtante.
Ita deſudauit in Comorinenſibus excolendis,
Vt ſine Tyranni gladio, poſset occumbere.
Tandem eo genere felix,
Quod infelicior eo inueniri vix poſset,
Cippo Coercitus,
Fame interiit,
Conuiuio cæli exceptus.

EMMANVEL FERNANDEZ.

Securitatem vt daret aliis, ſibi rapuit.
Perditos cum tollere vellet, corrigere contendit.
Quibus fuit moribus contrarius, in eorum incurrit odia.
Dum diuini verbi gladio
Illicitos amores diuidit,
Vulneribus confectus obiit.

P. IGNA-

P. IGNATIVS AZEBEDIVS.

Genere & pietate illustris,
E fortunatis Insulis, Brasiliæ fidem inuehens,
Cælo inuectus est.
Ne deessent sibi maris aquæ,
Sanguine auxit.
Ne deessent amica Sydera nautis,
Deiparæ iconem tenens,
In mare deiectus,
Cum hac Cynosura,
In cælum appulit.

P. DIDACVS ANDRADA.

Vir nomine & animo.
Vltimam tabulam, post naufragium dum aliis porrigit,
Pugionibus confossus,
Tanta in Deum charitate occubuit,
Vt debitorem se sanguinis Christi agnoscens,
Sanguine debitum reddere curarit.
Vltima voce id protestatus,
Fundamus pro Christo sanguinem,
Qui pro nobis fudit suum.

P. PETRVS VENVSTVS.

Pulchritudine animi Venustus,
Cuius in se aliisq; curam, maximam habuit.
Vitia aliena nesciens, nisi vt corrigeret,
Ærumnas omnium sciens, vt curaret.
Hostibus dum benefaceret,
Vulnera gratitudinis loco recepit.
Qui Ioannem Baptistam, & Paulum, morte imitari optabat,
A Clerico cælo debita victima
Imolatur.

P. EMMANVEL NIGER.

Moribus Candidus,
Morte Martyr purpuratus.
Iniuriis hostibus, Eucharistiæ Sacramento,
Vitam iniuriis hostium exposuit.
Vt eas voce & sangnine vindicaret.
Nunquam visus hilarior.
Quam cum securi caput subderet.

P. ÆGIDIVS GONZALEZ.

Natus cum Lumine,
Non esse se tenebrarum filium, nascendo probauit.
Fulgur & fulgor futurus,
Vt hoc bono attraheret,
Illo malos terreret.
Fulgere nunquam desiit.
Sæpe non desiit, fulgurare.
Ingenii & doctrinæ magnitudinem,
Virtute perfecit.
Pugnasse se pro veritate, non reputans,
Nisi etiam vulnera accepisset.
Memoria antiquitatis incredibili,
Statuta, Decreta Pontificum,
Omnia cum teneret
Madriti, quod mortale habuit, deposuit.

P. ANDREAS SCHOTTVS.

Christianus Curtius,
Qui pro Salute Patriæ,
Non in voraginem,
Sed in Societatem IESV se deuouit
Sibi, & Patriæ, salutem allaturus.
Paschatis festo ex Ægypto,
Ad terram Religionis transiit.
Vir de re literaria bene meritus,
Dignus quem paginæ non taceant.

P. FRAN-

P. FRANCISCVS TVRRIANVS.

Helluo librorum.
Cum Bibliothecas illustriores, Italiæ lustrasset.
Editis à se libris auxisset,
Pontificius Theologus.
Natalitio Domini die,
Natus Deo in Societate est.
Vbi ætate prouectus, refloruit:
Virtute etiam, & non sola ætate cæteros antecedēs,
Stilo certauit cum voce non posset,
Tandem die Præsentationis virginis, è viuis abiit
Vt festum illud in cælis ageret.
Qnod iam abolitum, sua industria in terras reduxit.

P. MARTINVS CLAVIVS.

Triumphis natus ex Oppido victoria.
Vir ingenio, Iuditio, Eloquentia, paucis comparandus.
Concilio Tridentino nomine Othonis Truschis Card:
Dum adesset.
Bono olore Societatis attractus est.
Primus Theologiam, in Romano Collegio professus.
Cum Sancto Ignatio parentasset
Decimo octauo die, Parentem Filius
Ad superos secutus est.

P. MICHAEL BRILMAECKIER.

Ita disciplinis eruditus,
Vt in eo encyclopædiam inuenires.
Præceptorem etiam imbuens artibus,
A quo fuerat imbutus.
Principibus carus, cum nihil dissimularet.
Hæreticis hostis, quos vita, voce, stilo vrgebat.
Calamo ita efficaci vt silerent.
Amicitiæ prætextu, nil tale cogitantem.
Veneno sustulerunt.

P. ADRIANVS IVNGIVS.

Patria & moribus Sarmata.
Etiam vltra montes, probos nasci, & ali posse probauit.
Ita Doctus
Vt Mineruam Athenis, rapuisse visus sit
Ita fortis,
Vt Armata Pallade, Hæreticos in triumphum duceret.
Ingenti animo vir.
Solo Eucharistiæ Sacramento,
Et codicum Sacrorum lectione.
Saciandus.
Cum pro Deo vsque ad defatigationem laborasset.
Quieuit.

P. IOANNES VVCHALIVS.

Patria Leopolitanus.
Romæ in Societatem adscitus,
Suum etiam Poloniæ, Tullium dedit.
Facundum Eloquio, eloquentem virtute,
Qui improbos facundia superauit,
Coniuratos fidei hostes, vrbibus & Regno eiecit.
Optimam semper causam, tolerantiæ effecit.
Iniuriis patientia respondens,
Nunquam memor iniuriæ, nisi vt condonaret;
Neminique magis deuinctus, quam qui se læsisset,
Amicitiæque parandæ, cum eo artem esse
Iniuriis afficere.
Quam carus esset Principibus, morbus ostendit,
Cum paralysi tactum, non nisi exanimem reddiderunt,
Quod vltimum Spiritum vellent excipere.
Mausoleo procerum fuisset conditus,
Nisi modestiæ Societatis vis fieret.

P. BENEDICTVS HERBESTVS.

Maturus æuo, iugum Dei ſuſcepit.
Feruore id compenſas, quod tempori defuit.
Id quod pretioſiſsimum Italia habet,
In Poloniam detulit.
Virtute illuſtem Doctrinam.
Aſuetus in vrbe ſpectaculis: Poloniæ
Seipſum vtile dedit ſpectaculum.
Cum ſuo modeſto conſpectu, Hæreticos conuerteret,
Verus Caladrion, qui vitam intuitu contulit.
Cum iam in virtute, & ætate proceſsiſset,
Flexis genibus mortuus eſt.
Quod multæ Orationis virum, hic ſitus deceret.

P. MARTINVS LATERNA.

E Polona Societate primus, morte ſua Fidei teſtis.
Regum Eccleſiaſtes.
Nomini ſuo apprime reſpondens;
Cum Lucem veritatis, nec extingui, nec ventilari permiſit.
Ita ardens caritate.
Vt nunquam laboribus, pro Chriſto fatigaretur.
In mari Balthico ab Hæreticis demerſus,
In cælum emerſit.
Etiam poſt mortem, vincula captiuorum diſſoluens,
Libertatis Chriſtianæ, & Polonæ amicus.

P. PETRVS SCARGA.

Poloni Sanguinis, & virtutis, ex aſſe hæres.
Qualis eſſet futurus, Concionator, edocuit antequam eſſet.
Ore & opere, Eccleſiaſtes vt eſſet,
Honoribus poſt poſitis, in Societate IESV,
Omnes partes oratoris didicit,
Cum aſueuit bene agere.

Triginta annis, & amplius, Regibus Poloniæ, Concionatus,
Id effecit,
Vt veritas, regibus non displiceret.
Sæpe cum Regi dare non posset, nisi adimeret Deo,
Ingratus maluit videri, quam esse.
Religiosum se esse, inter aulicos memor,
Nunquam aulicum egit.
Cum vnus sibi sufficeret,
Ex aula non auro, sed meritis onustus,
Ad Claustrum redit,
Clausulam vitæ religiosæ in ædibus religiosis
Facturus.

P. STANISLAVS VARSAVICIVS.

Adultam cum ætate virtutem, Societati attulit.
A Spe honorum, ad sui Contemptum, animum transferens.
Sibi ipsi Pastor, peruigil futurus,
Episcopatum sibi oblatum repudiauit.
In diuina ita delatus, vt ab humanis ablatus crederetur.
Omnium nunquam oblitus, sæpe sui non memor.
Cum aliis præesset,
Auxit cum dignitate virtutes.
Bene meritus de Patria, Cæli patriam accepit.

P. MARTINVS SMIGLECIVS.

Vir diuino ingenio.
Quo multos æquauit, plurimos superauit.
Diuinas & humanas scientias, ita coniunxit
Vt ab inuicem perfici posse posse ostenderit.
Sæpe in eum Deus hæreticos allisit
Vt frangeret
Cum nihil haberet quod causa Dei daret
Docere nunquam desiit
Viuit etiam post fata in suis laboribus
Volitans per ora virum.

P. MAT-

P: MATTHIAS CASIMIRVS SARBIEWSKI.

ROmanus ore, natione Sarmata:
Cultissimi vir ingenii.
Alter Horatius.
Princeps Latinæ Lyræ,
A magno calamo magna Elogia.
Maximo
Pòétæ, Oratori, Theologo:
Qui ea complexus omnia, quæ vix singuli singula.
Vates Lauream, ab illis accepit manibus,
A quibus Reges suas habent Aureas.
Annulum Sereniss: Vladislaus IV. dum misit.
Ad præconium æternitatis, symbolico hoc
Præsagio, admisit:
Doctor Theologus.
Diuinam ita coluit sapientiam,
vt & ipse Diuinus appareret, & plurimos ad diuinitatẽ appararet:
Regius Orator.
Aulam sic coluit, vt cæli aulicum, facile colligeres.
Ad splendores Regiæ, oculos non retraxit,
Quod ab omni quidquid splendidum est, animum abstraxisset,
Tandem vt in partem sæculi Sancti veniret.
Et carmen sæculare, Nouus in cælo Vates inchoaret.
Ab aulâ Regis Polonorum, ad Aulam Regis Polorum.
Trito vel Regum vestigiis tramite, properauit.

